

pastorali vigilantia abusum prædictum tamquam a religione christiana alienum tollere, atque abolere desideras. Sed cum homines illi plus nimio, et contra quam Christianos decet, nefandæ superstitioni suæ indulgentes, appellationibus et inhibitionibus violenter se tueantur, ac defendant, nobis humiliter supplicari fecisti ut in præmissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur fraternitatis tuæ solertiam, et religionem summo opere in Domino commendantes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, congregationis sacrorum rituum sententia, supradictum abusum tamquam ecclesiasticæ pietati, necnon etiam sacro ritui adversantem, et detestabilem iis in locis, in quæ hucusque irrepsit, funditus tollendum, atque abolendum esse statuimus et ordinamus, ac fraternitati tuæ per præsentem committimus, ac mandamus, plenam, et amplam super hoc tibi facultatem concedentes, ut abusum prædictum, ex omnibus, et quibuscumque locis tuæ Civitatis diocesis, appositis juris, et facti remediis, aliisque ecclesiasticis censuris, et pœnis tollere, ac funditus abolere, omni et quacumque oppositione, recurso et inhibitione postpositis, et rejectis auctoritate nostra cures, et cum effectu. » Hucusque pontifex, ubi manifeste cernitur sacerdotalis pectoris robor, et nervosa veritatis censura, qua tamquam ancipiti, et acuto cœlestis auctoritatis gladio omnis superstitio concidit, omnis impostura detegitur, et falsæ pietatis umbrae penitus dissolvuntur.

XXI. Certe stylus ipse cicurandi belluam, longe a veri miraculi majestate, gravitateque recedit. Miraculorum enim fulgor in eum finem collimare videtur, ut vel in fidei confirmationem, vel in commenda-

tionem sanctitatis alicujus personæ, vel Ecclesiæ fiant. Fides autem satis apud nos confirmata, et altis infixis radicibus, signis, et miraculis amplius non indiget ut firmetur, sed miraculorum loco, ipsa sine signis firma credulitas succedit, hoc enim mirabile in fide nostra est, ut semel fundata sine miraculorum radii propria tantum luce splendeat, et firmitate sua stabilis, atque immobilis obscuram caliginem sola collustret face certitudinis. Personæ autem, quibus superstitio ista peragitur, nullius sanctitatis nota insignes habentur, ut miraculorum auctoritate indigeant commendari, sed prout fortuito contingit præfectum sodalitatis illo anno reperiri, ad tantæ actionis solemnitatem, cujuscumque vitæ ille fuerit æquis passibus animatur. Multo minus ad Ecclesiæ ipsius utilitatem, aut venerationem res ista conducit, cum potius, ut ipsius Ecclesiæ universalis pastor nos admonet, non sine ipsius Ecclesiæ conspurcatione et labe, non sine indecentia officiorum sacrorum, non sine populi dissolutione, risu, et inquietudine in totius Ecclesiæ indignitatem spectacula ista celebrentur. Quorsum ergo hic miraculi vis, ac potestas, ubi tanti undique infunduntur abusus?

XXII. Ipsa denique forma, et cæremoniæ stylus inanitatem miraculi ostendit. Quid enim ad cicurationem istam sollicitudo illa, et præventio refert, ut prius suffragiis communibus eligatur taurus, et electus Marci nomine insigniatur, ac deinde denudato capite, in festi ipsius pervigilio, a sodalitatibus præfectis dicto nomine evocetur? Quid hæc ad veri miraculi patrationem conducunt? Aut quid ad sancti venerationem, cultumque divinum? Ubi autem aliquid vanum, et de se nihil conducens ad finem religiosi cultus adhibetur, ibi maxime super-

stitio locum habet, et maxime timenda est; tum etiam, quia stylus iste, et forma cicurandi taurum nisi ab ipso Deo, aut Ecclesia approbante præscripta esset, sine dubio tamquam humanum inventum, aut inadem commentum, et mera fictio habendus est. Quod vero ab ipso Deo præscripta sit, aut annuente Ecclesia comprobata, non constat, imo oppositum ex relata pontificis sententia manifeste colligitur. Si vero ex hominum placito, et humana tantum voluntate res ista subsistit, cum ex sola sermonum, et vocum significatione, virtutem illam cicurationis sortiri nullo modo possit, restat, ut ab aliquo pravo spiritu vim suam pacto aliquo tacito, vel expresso verbis illis alligante, effectum istum procedere teneamus. Et certe qualis nullus censi potest, et non potius irrisio, et maxima christianæ religionis indecentia, fortassis a dæmone ad divinum cultum minuendum procurata, brutum animal, et ferocissimam belluam tanto strepitu, et concursu, tantis clamoribus, tam profano ludo intra ipsam ecclesiam induci, ibique toto sacræ festivitatis tempore, quasi in stabulo immorari, omnium animos, et oculos ad se convertere, et a divinatorum attentione, debitaque reverentia, et gravitate avertere, popularibus mentibus quasi ludicrum reddere quidquid tunc in ecclesia geritur, ne videlicet ad Dei laudes, et religiosam modestiam animus erigatur, sed tota ecclesia confusa clamoribus irreverenter tractetur, puerorum, ac juvenum circa taurum discurrentium inquietudine ferveat; ubi nihil modestum, nihil religiosum, nihil ad pietatis, ac religionis augmentum, sed totum ad evagationem mentis, et jocularum tumultum compositum, effortatumque videatur.

XXIII. Quare res ista sine dubio ad speciem illam incantationis, et superstitionis spectat, quæ verbis quibusdam de se nullam aliam virtutem habentibus, quam nudam significationem sine ullo Dei promisso, aut operatione, effectus aliquos mirabiles, vere tamen magicos circa animalia efficit, sicut est serpentum incantatio, quæ dæmone procurante ita illos stupefacere, et edomare solet, ut innoxie manibus attrectentur, et magorum nutibus sine ulla resistantia obediant. Nec opponere aliquis nobis potest incantationem istam minusculos angues, aut bestiolas exagitare, ferociores autem, et majoris molis belluas, quales sunt tauri, elephantes, rhinoceros, leones haudquaquam movere. Nec enim aliquando auditum est leonem, aut elephantem magicis carminibus languescere, aut cicurari, si enim hoc magicis incantationibus fieri posset, non est dubium quod procuratum fuisset a pluribus, qui exhaustis impensis feras ad spectacula exhibenda undique conducebant, imo ad demonstrationem insolitam grandes istas belluas ex remotissimis partibus adducerent ad quæstum sibi acquirendum, quod nusquam fieri aut vidimus, aut legimus. Sed et hoc in divinæ omnipotentia signum destinari in Scriptura adnotamus, ut hæc tantæ molis animantia solo Dei præcepto mansuescere possint, sicut legimus in xxxix capite Job: *Numquid vult rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Numquid alligabis rhinocerotam ad arandum loco tuo, aut confringet glebas vallium post te?* Quod certe si magicis incantationibus fieri posset, facilem haberet solutionem, si quidem responderi posset divinæ interrogationi, posse ab homine carminibus maleficis alligari rhinocerotem, et ad præsepe vinculari, atque

ad serviendum homini mansuescere, sicque non posse inde ad omnipotentiae divinæ admirationem sufficiens deduci argumentum. Addo, nec ipsos serpentes, qui præ aliis animantibus incantationibus magicis subjiciuntur, et præsto sunt, si in vastam magnitudinem excrescant, et sinuosis orbibus spiras evolvant, indurentur squamis, cristis, jubisque emineant arrecti, sanguineisque, et igneis oculis terribiles spicula linguarum vibrent, ausi quaquam cedere carminibus incantantium, sed ipsos magos, eorumque præcepta contemnere. In notabili apud Splengerum, eoque non insulso exemplo confirmatur.

XXIV. Narrat is parte II, quæstione II, capitulo VI, fuisse in civitate Satemburgensi incantatorem quemdam, qui die quadam ut spectaculum lætum spectantibus præberet, pollicitus est omnes serpentes se adducturum ab spatio unius milliaris, et in foveam inclusos necaturum. Congregatis ergo undique serpentibus, cum ipse in limine foveæ staret, novissime quidam ingens, annosus, et horribilis serpens adveniens foveam intrare recusabat, et sæpe motibus quasi innuebat mago, ut se liberum abscedere permitteret; sed mago perseverante, ac sua carmina intonante, serpens stans ex adverso foveæ, contra incantatorem ingenti saltu insiluit, et ipsum spiris suis cingens, in foveam secum demersit, atque interemit. Ita nebulo ille dignam suis meritis retributionem accepit inter serpentes occisus, qui sibi serpentes ad obediendum cogere præsumebat. Eo tamen evidenti exemplo comprobatur non ita posse magicis carminibus grandiora subjici animantia, sicut minuscula, ideoque difficile creditur videtur taurum ferociae suæ magnitudine terribilem posse su-

perstitiosis sermonibus, et vocibus cicurari.

XXV. Cæterum resolutionem nostram nequaquam terrent ingentia ista corpora, et majoris molis immanitate frementes bestiae, quin ipsas quoque superstitiosis ritibus mansuescere dæmone procurante, et ad nostram deceptionem ordinante dicamus. Nec enim dæmoni difficile est etiam ingentium belluarum ferociam edomare, cum de eo scriptum sit: *Quod non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret, ut dicitur Job. xli*; ergo vires ejus, atque potestas nullis viribus ferarum quantumcumque grandibus cedere potest, sed potius ei cedunt omnes, illique subjiciuntur, atque adeo edomare illas, et cicurare potest. Certe tauros nonnunquam arte dæmonis mansueferi ex supra relata historia a Grillando, et Pierio Valeriano constare potest, cum Clementis VII principatu Romæ a Græculo quodam, vere mago ferocissimus taurus per universam urbem funiculo religatus sine alicujus damno duceretur. Et in actis martyrum sæpissime legimus cum multi sanctorum ad bestias damnati divina virtute servarentur illæsi, id gentiles magicæ illusioni attribuere solitos, quasi pro certo habentes etiam majoris molis, ac magnitudinis feras posse dæmonum arte cicurari. De Apollonio Thyanæo, qui magicis artibus universi orbis oculos in se convertit, et quem diabolus ad mundi illusionem induxisse videtur, ut veritatis verbo per evangelium seminato, zizania mendacii superseminaret, Apostolis ætate supparem, falso miraculorum splendore fulgurantem, gloriæ Christi æmulum, ita ut a plerisque tamquam deus coleretur, hæc inter alia scribit Anastasius Nicænus libro quæstionum, quæstione xxiii: Apol-

lonii usque in hodiernum diem in nonnullis locis peraguntur sacra; alia quidem ad avertendas bestias quadrupedes, et volucres quæ possunt homines lædere; alia autem ad sistendos fluxus fluminum, quæ cursu feruntur inordinato; alia autem ad avertenda illa, quæ sunt in perniciem, et interitum hominum comparata. Non solum autem in vita ejus hæc per ipsum fecerunt dæmones, sed etiam post ejus mortem ad ejus monumenta manentes.

XXVI. Ecce quomodo magus ille etiam bestiarum quadrupedum definuit impetus, et perniciem avertit, quod utique nisi cicuratione aliqua, et mansuefactione fieri poterat. Sed quid mirum magicis carminibus belluas quantumvis ingentes, et immanes edomari, ac frænari, cum multo mirabiliora passim a dæmone fieri indubitatum sit? Re-

censet nonnulla ibidem Anastasius de Simone mago, quæ omni ferarum cicuratione majora sunt. Statuas, inquit, faciebat ambulare, et in igne volutatus non exurebatur: in aere volabat, et ex lapidibus panes faciebat: serpens fiebat, et in aliquas alias bestias transformabatur: duas habebat facies, in aurum convertebatur, fores clausas aperiebat, vincula ferrea solvebat, in conviviiis exhibebat spectra formarum omnis generis. Vasa, quæ erant in ædibus, faciebat videri tamquam quæ sua sponte moverentur ad ministerium, iis qui portabant non visis, efficiebatque ut multæ umbræ eum præcederent quas dicebat esse animas mortuorum. Maneat ergo verbis pontificis superstitio ista damnata. Reliquum est ut veriori et religiosiori cultu in tanti evangelistæ nomen assurgamus.